



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Nota I. Calumnia Iesuitica de Eucharistia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

piam, cui ab Hero persuasum fit, ut à Confessione, vel
audiendo Sacro abstineat; exempli gratiâ dictum es-
se constat; in exemplis autem non requiritur veri-
tas.

XI. Iude illos agi spiritu, in corrogandis opibus. De quo jam supra n. 6. Quid ni, ex operibus vestris vos judicemus?

XII. Multi conjiciunt, consilium vobis esse, abolenda Eucharistia & Pœnitentia. Hanc quidem, quia à Sacerdote absolvente remitti peccata non vultis; quam sæpe docuit Sancygitanus, ut constat ex actis: illam verò per non usum & desertudinem, quam inducere cœpistis; ut habetur in actis, & patet experientiâ.

Reliquas, ut tu ipse vocas, calumnias, breviter perstringo. I. Lutheri exemplo in Sacerdotes incontinentes invehuntur, id quæ fortè eodem fine. Criminetur ab uno disce omnes. II. apud Regum portum pauca Sacra fiunt. Hoc faciunt omnes. III. Mira est Iansenistarum industria & calliditas, ad colligendas pecunias. Quàm multis exemplis hoc probari posset? quid in hac parte vester Du Hamel præstiterit, satis compertum est. IV. à Iansenistis irriduntur vota. Constat ex iisdem actis, & ex lib. de Sancta Virginitate. V. Theodorus Beza amicus vester dicitur. Quis enim negat, Iansenianas hæreses à Calvinianas proximè accedere? sunt quæ Iansenistas, Calvi-

In Epist. decimam sextam,

NOTA I.

Calumniæ Iesuiticæ de Eucharistia.

Quantas Tragædias in hoc proscenio excitas,
ut Arnaldum, Sancygiranium, Regio-portuen-
ses

Aaa

les

les defendas! (a) & quidem primo loco, tantum non iuras, Jesuitas decimā sextā illā Montalii Epistolā in horrendis & apertis calumniis conclusos fuisse. Quānam verō sunt illae calumniae? de pecunia à Janenio clam subducta: de multis opibus ab illo famoso Rectore brevi tempore congestis. Quod autem pro repositione Jesuitas ad clarissimos S. Rochi & S. Pauli Parochos remittis; perinde facis, atque si Jesuitas à Pilato ad Herodem remitteres. Quid enim aliud dicerem? intelligenti pauca. Præterea de Monialibus Regio-portuensis, eandemque Rectores. Adde, si vis, de Arnaldo & Sancygirano, aliisque sectæ vestrae Principibus, Fraus Janenii ex citatis litterarum ejusdem autographis demonstratur. Hæc pecunia, inquit, Collegii est non mea; ea tamen uti possum tam occulte, ut in rationibus, quæ quotannis à me reddantur, nihil appareat. Vestra illæ Moniales vestris erroribus addicibilissimæ sunt. Prædicti Rectores avaritia omnibus patet. Arnaldus & Sancygiranus nihil antiquius habuere, quam ut Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta abolerent: immò ille ex certis loquendi formulis, non levem suspicionem præbuit sinistrae Fidei. Ubi enim dixisset in lib. de *Frequenti Communione* 3. part. c. 11. eodem cibo nos in Eucharistia pasci, quo Sancti in Cœlis pascuntur (quod certe si ab alio diceretur, bonum sensum præferre posset; pascuntur enim in Cœlis Sancti, Christi visione, amore, possessione; nos verò in Eucharistia, Sacramentali receptione;) subnectit deinde; quantum à clara visione Fides abest, tantum, modum, quo in terris manducatur, ab eo differre, quo in cœlis comeditur. Igitur Fide tantum in terris manducatur: quod Calvinianum est. Non levem inde, crede mihi, suspicionem Arnaldus præbuit: præterquam quod per non usum & infrequentiam id unum eniti vilis est, ut Sanctissimum illud Sacramentum aboleret.

Frustrā autem loca multiplicas ex Arnaldi libris. Ut enim hæretici clarissimæ Scripturæ verba, quæ transubstantiationem significant, in alio pravo sensu intelligunt, eum idem de prædictis locis, suspecti præferim hominis, dici non potest? tergiversantur hæretici, immò sibi non raro contradicunt, ut suos errores obducto furo melius tegant. Alia loca ex libris Sancygirani à Sancta Sede damnatis congestisti; ac proinde nullius momenti esse, nescire non potes: præterquam quod illa loca varias interpretationes, præsertim à suspectis auctoribus, recipere possunt. Cæterum illa omnia, quæ calumniae & maledicentiæ tribuis, non modò clarissimis & omni exceptione majoribus probationibus sæpe ac sæpius expositis, verum etiam voce publica eaque constanti nituntur; si tamen Filii narrationem excipiam: quam licet reprobendam esse non dicam, eam tamen auctore suo stare velim, viro scilicet intaminatæ fidei, integerrimæ vitæ, acerrimo Janeniani nominis hoste, dere Catholica benè merito, ac proinde digno, quem litteris Apostolicis Innocentius X. compellat. Doles præterea ab Apologista dici, Regium portum cum Geneva satis convenire. Sed, ni fallor mitius quam par sit, loquitur, cum Regius portus altera Geneva haud prorsus ineptè dici potuisset. Nempè Lemana una, Calvinistarum est; altera verò Parisina, Janenistarum; quos molliores Calvinistas jure dixeris.

Arnaldii errores, errorumque principia in responsione ad Epistolam 16. (b) Apologista recensuit: scilicet gemina loca de Eucharistia, quæ jam supra indicavimus; deinde errorem illum de duplici Ecclesiæ

Capite, Petro & Paulo: tum id, quod dicit, eo quidem viger, pœnitentiæ usque, generalem hominum pœnitentiam foveri; denique rem perfectissimam Deoque gratissimam fore, differre usque ad mortem Sacram Communionem. Hæc Arnaldi esse non dubitabis. Ex his autem Apologista rectè inferit, suspectum saltem esse Arnaldi fidem circa Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum: ex his, inquam, non quidem dirigitur, sed majore istorum parte: qui reverè satis communitis est loquendi modus. Et verò ex duobus primis sententiis & quinta, prædicta suspicio rectè deducitur ex quarta saltem indirectè, ut ajunt, ad illam enim rursus pœnitentia, si Superis placeat, ritum, ætatem Eucharistiæ omisso pertinet. Tertiam sententiam ipse approbas. Ubi enim hæc Apologiste verba recitasti, dixisti, inquit, Petrum & Paulum esse generalem Ecclesiæ verticem, qui unum efficiant; reponis illud, quod Arnaldus: Hanc igitur sententiam, quantumvis à Sancta Sede damnatam approbas. Quamobrem verò? quia Arnaldus majorem fidem, quam Romano Pontifici habet, hinc tamen sequitur totius Apostolicæ firmitatis, & infallibilitatis, ut vocant excidium. Esset enim Ecclesiæ ne visibili capite: quia nisi caput unum sit, nullam illi Hinc totius Ecclesiæ ruinæ; ac proinde Sacramentum & Eucharistiæ destructio.

Non eracigitur, quod Apologistam tam aperte scilicet insimularet, & tam imperitum Dialectice dicere. Ex tribus sententiis vestris rectè sequitur, Arnaldi fidem circa Eucharistiā suspectam esse, ex duobus aliis; idem indirectè saltem sequitur. Quod notem attinet ad librum de *Frequenti Communione*, contendunt reverè Jesuitæ à S. Sede damnatum esse. Cum enim damnaret Innocentius Decreto suo, an. 1679. die 24. Januarii, libros omnes, in quibus damnata illa duplici Ecclesiæ Capite opinio continetur; & cum ea in libro illo continetur; negari non potest, quin eam ob causam pro damnato habendus sit: præter innumeros alios errores, quos continet, & quos frustra reciterem; cum id jam à multis, qui contra librum illum scripserunt, egregiè præstitum sit. Si alios legere non vacat, in *Reliquis* aliquot errorum syllabas habes: ex quibus, ni fallor, quisvis facillè videre poterit, quam perniciosa liber ille sit.

Quod autem dicis, totam Societatem ad sceleratam mentis cumulum pervenisse: quod incredibile, equum & horrendum est: rectè mones, incredibile esse, immò & horrendum hoc scilicet ab homine, non Catholico quidem, sed qui se pro Catholico gerat, impudenter assertui. Quamobrem verò? quia Arnaldi fidem circa Eucharistiā, ex prædicto libro nonnulli ejusdem Societatis homines suspectam esse scripserunt. Quia vero publica vox non sit, & res per se ipsa non coarctat. Mox descendis ad quinque propositiones Janenii in Ecclesiā damnatas; quas negas, à vobis unquam dehas fuisse. Scilicet, in sensu illo ridiculo, à vobis exceptato, cujus reverè patientes non sunt: in quo, scilicet, damnatas tantummodò dicitur: licet eas in proprio sensu, qui est Janenii, in quo jam constat, ex Arnaldi Constitutione, damnatas fuisse etiamnum, ut auctor defendatis. Nec est, quod Thomisticam doctrinam vobis vendicetis. Nunquam enim Thomistæ propositiones illas defenderunt, immò expressè damnaverunt, ut ab Annato sæpe, ac præsertim libello singulari demonstratum est. Sed de hoc argumento paulò fustius infra agendi locus erit; aut saltem tu ipse præbui occasionem.

Cæterum ægerimè ferre videris, quod Jesuitæ Arnaldum, sapias petant, & Dandillum germanum

(a) Pag. 441. & 442.

(b) Pag. 443.

(c) Pag. 444.

neon Agnetem sororem utriusque. Vin' breviter di-
citur causa sunt, propter quas Arnaldos Jesuitæ
excepunt. Prima est Catholicæ veritatis
defensio. Cum enim errores publicarent, tum ab
Haller, à la Senio & Sancygitano acceptos,
tum ipsos excogitatos; Jesuitæ sine crimine ta-
mentum poterant. Altera causa, justæ defensionis
causa. Quid enim ab his contra Societatem JE-
suiticam non fuit? hic avitus hujus familie mos
est. Quævis, quantum ab antiquo illo Arnaldo,
in Parlamento Parisiensi advocato, quantum
in Parlamento Parisiensi, nepotibus, Societas identi-
ca, quasi dixi fecit. Non desunt alia quædam nomina le-
gendis, ut Paschalis, & Paschalium:
Haller, Berullius, rursus ab initio, nonnulli
illos omnes tuis partibus te-
nentibus Wilhelme; sed aversum aliorum ani-
morum tribuere nolum. Nominibus parco:
non enim facere possum, quin eum appellem, qui,
ut fabulæ apud Æsopum corniculæ, Volu-
men parvum edidit, contra Regularium Privilegia;
Epistolam Patris Joannis Bagotii, Defensionem,
Epistolam adversus anonymum, identici-
tatemque doctrinam in eo contentam afficit gra-
tiam. Sciat tamen, prædictum libellum post
legitimam discussionem à legitimis Iudicibus adhi-
bitam, & illarum iudicatum fuisse; ac pro-
prie, ut Romæ, ex Typographiæ Re-
publicæ Cameræ Apostolicæ iterum prodiret. Hoc
pro Libelli defensione & plena illius auctoris
rehabilitatione, homini Catholico sufficit.
Quem Catholicus non assensit? absolvit Ro-
mæ: Insignitur est. Non deerunt tamen,
quod illi corniculæ naves liberali manu abster-
per, cum iis reverè non careat. Cur fabula corni-
culæ appellata, nihil est quod dicam, apud eos, qui
tamen dicunt: apud alios verò, quibus ignotus
est, quod iuvat quomodo litera sit, quæ eas nun-
ciat.

NOTA II.

Præfatiuncula de Sanctissimo Sacramento.

Non est historia. Abbas Sancygitanus breve opus-
culum scripserat, sic inscriptum, (a) *Le Chapelet
pour la Très-Sainte Sacrament*: quod cuidam moniali
expositum, Agneti scilicet à S. Paulo, dignissimæ
rehabilitationi foret attributum esse voluit: Sancygi-
tano tamen esse, omnes conveniunt; quod vel ex
titulo patet. Cum autem prædicta prece-
pta multa absurda, impia, blasphemia, scandalosa,
suspecta, erronea contineret, à Censori-
bus Sorbonicis damnata est anno 1633. die 18. Junii.
Censuræ censure subscriptæ ex iis esse pures,
quæ armaturæ vulgò dicuntur; appello nomi-
nibus Du Vallius, Le Clerc, Chartron, Ba-
rthelemy, Haller, Morel, Cornet. Vides, ni fallor,
consequens ordinis. Nec est, quod la Senii & Fro-
nii approbationem obtrudas. Nam qui sibi ne-
ce, cui bonus? damnati auctores nullius aucto-
ritate. Non est etiam, quod censuram illam
occulitis quibusdam simultatibus inter
Episcopum N. & Episcopum Lingonensem in-
tribus tribuas; ac dicas, Hallerium aliosque
eas fuisse pertrivisse. Hæc enim sunt vera

somnia & aperta mendacia; eadem facilitate rejicien-
da, quæ asserta. Præfatis illis iniquè injuriis es;
quibus simultatis vitium temerè imponis; Archie-
piscopo præsertim, cui manifestam injustitiam af-
fingis. Celsiorem prædictæ scripturæ doctrinam,
à Censoribus minimè intellectam, ad pessimos sen-
sus ab iisdem detortam fuisse asseris; idque exem-
plo Tauleri & Rusbrokii confirmas. Sed illi pessi-
mi sensus ita proprii sunt, in suspecto potissimum
auctore; ut Censores, non dicam eximios, quales
isti fuerunt; verum etiam minùs oculos fallere non
possint.

Scio, à vobis negari, scripturam illam à San-
cygitano compositam fuisse; sed ab Agnete monia-
li, Arnaldorum sorore. Hæc pro more fingitis. Men-
tiri, parvi negotii res est apud vos, veritati bellum in-
dixistis. Nec minùs erratis in quæstionibus facti, quàm
in quæstione juris. Tu vide sis Reliquias, & discussio-
nem ejusdem scripturæ anno 1633. editam. Ex his
enim facillè constabit, Sancygitano verum illius au-
ctorem esse & defensores; item à celeberrimis Sor-
bonicæ Facultatis Doctoribus damnatam fuisse; & à
Sede Apostolica proscriptam & in perpetuum sup-
pressam. Quæ, ni fallor, quidquid dicas, magna satis ig-
nominia censenda est.

Porrò Sancygitano hoc loco ad cælum extollis;
insignem atque illustrem Theologum, nec non eru-
ditissimum scriptorem vocas; laudas ingenium, vir-
tutem, eruditionem, lumen & robur, invictam scrip-
tionem, aliaque id genus. Quid ni alterum Patriar-
cham vestrum laudares, multiplici sanè à vobis elo-
gio coronatus est. Unum habeo, quod reponam:
auctorem scilicet illum damnatum fuisse; in vincula
propter errores, quos seminabat, conjectum; in-
numeris probationibus convictum; authenticam acta
ejus doctrinæ & vitæ in Collegio Claramontano Pa-
risiensi asseruari; ejus Maximas, ut vocant, perniciosas
& heterodoxas; Theologiam familiarem confixam; Re-
giam Quæstionem, impiam & horrendam ab omnibus ha-
bitantibus alterum librum, qui Aurelius inscribitur, in-
numeris erroribus scatere (nescio quis, supra centum
in brevi syllabo raptim recensuit) librum de Sancta
Virginitate, à Sorbonâ, infami notâ inultum; Literas,
erroris veneno infectas. Omitto librum de Frequenti
Communione, qui licet Arnaldi nomen præferat, San-
cygitano tamen à plerisque jure attribuitur. Cæte-
rum blasphemias præfatæ scripturæ frustra re-
censuerem, cum jam hoc munere alii egregiè defuncti
sint.

NOTA III.

De miraculis in Portus-Regii Monaste-
rio editis.

Ille miracula non suspecta modò, sed profus re-
jicienda sunt, quæ in confirmationem erroris su-
perbè jactantur (a) idque majore, ut ais, incitatione
& eloquentia. Et ut fidem facias, locum Montalii
elegantissimum, ut putas, exscribis: quamvis, ut ve-
rum fateat, Grammaticæ legibus vix congruat; &
difficile sit, in eo congruam verborum constructio-
nem invenire. Regii portus Monasterium à Jesuitis
oppugnatum fuisse dicis; quod, scilicet, sex Arnaldi
sorores cum anu matre, & totidem Andilii fratris fi-
liæ potiores & nobiliores illius partem facerent; &
quod ibidem Arnaldus, Sacerdotis & Confessarii par-
tes

Aaa 2

tes

(a) Pag. 444. 445. 446.

(a) Pag. 447. 448. 449.